

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6522

Autre(s) référence(s) : Bates 196

Auteur(s) : Hugues [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1067, 24 juin

Lieu d'émission : Lyons-la-Forêt

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, chevalier, donne à l'abbaye de Marmoutier l'église Saint-Ouen [de Gisors], la dîme de Gueulancourt et tout ce qu'il possédait sur les églises Saint-Gervaise et Saint-Prothase de Gisors.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 196, p. 625-627.

Texte établi d'après a

Conditor noster et reparator Deus inter multimoda preceptorum suorum documenta exemplo suo iustis petitionibus presto esse nos debere instructis, nulli perditum quod iustum est precipit denegare, cuius precepto tanto devotius nos expedit obedire, quanto maiora quam ceteri ab ipso videmur possidere. Unde ego Hugo, homo seculari militie mancipatus, divino instinctu animatus, ipsi largitori bonorum omnium aliquid ex his que ab eo temporaliter accipi, per manus pauperum offerre decrevi. Quod ut probabilius fieri possit, illud egregium pauperum genus elegi ad hoc faciendum, quod ut liberior expeditiusque Deo serviret, propriis abrenuntians facultatibus voluntariam subiit paupertatem. Sciant igitur presentes omnes et futuri ad quorum notitiam huius nostri scripti series poterit pervenire, cum voluntate et assensu conjugis mee Mahildis, necnon de filorum meorum, Tetboldi videlicet, et Drogonis, Hugonis quoque, et Lamberti, donasse me fratribus his qui in Turonensi coenobio, quod Maius monasterium dicitur, omnipotenti Deo pro posse hic Bartholomeo abbate famulantur, quendam locum hereditario iure mihi contingentem, in honorem sancti Audoeni constructum, cum omnibus sibi subiectis rebus quas contuli, vel quas deinceps per me vel per alios in ius ipsius loci divina pietas transferre voluerit, quatinus eorum orationibus adiuvi, qui elemosynis divine majestati placuerunt, mereamur adjungi consortio. Qui locus habens ad orientem Franciam, ab occidente vero Normanniam, consistit super fluvium Heptam, inter utramque patriam fluentem atque alteram ab altera dividentem. Ut autem quantitatis sive integritatis earundem rerum que pertinent ad predictum locum omnis propellatur ambiguitas, eorum nomine subterscribere curavimus, id est unius carruce consistentem apud villam que nuncupatur Aincurtis cum medietate bosci qui pertinet ad ipsam villam, addita quoque terra que sufficit duobus bobus apud villam que appellatur Vallois. Huic dono placuit nobis adiacere alia, scilicet sex arpenos pratorum ante predictam ecclesiam, de alios sex filiorum Guimerii, et tres consistentes apud villam Aincurtis. Simili quoque modo concedimus decimam de Golleni curte, que est de fevo cuiusdam femina nomine Norheldis, necnon

et octo hospites liberos et quietos ab omni consuetudine. Igitur eodem beneficentiae munere quo supra, concedo et annuo decimam duorum molendinorum consistentium super fluvium Hetam, et medietatem tertii consistentis super fluvium Trennanni, et quendam furnum situm iuxta monasterium. Additur etiam his feria que colligitur per singulos annos in campo qui adiacet predictae ecclesiae, qui locus persolvit tres solidos denariorum in die festivitatis s(ancti) Audoeni. Si vero pro qualibet causa festivus dies transierit sine redditione huius census, possessor tamen huius campi sine ulla occasione quasi iam preter ibi termini usque ad tertium diem ipsius festivitatis, simpliciter accipiet constitutum numerum denariorum. Data est quoque a nobis libertas tam monachis quam rusticis huius loci ut(en)di boscum s(ancte) Marie sine ulla venditione, id est mansiones faciendas, ad calefaciendum, et omnia necessaria que usus huius vite exigit.

Post narrationem vero huius donationis, veniamus ad ecclesiam de Gisorciis in honore s(anctorum) Gervasii et Protasii constructam in pago Rotomagensi sitam, quam totam ex integro et quicquid in ea habeo omnipotenti Deo concedo et s(ancto) Martino, id est decimam annone de sepulturam et oblationem altaris, et decimam minutarium rerum, et omnia que ad eandem ecclesiam pertinentem, aut ei successione temporum contingebint, tali etiam conditione posita, ut sicut hactenus in manu mea fuit, et ad me respexit presbyter ipsius ecclesiae, ita dehinc ipse de successoribus eius iure perpetuo respiciant ad abbatem Majoris monasterii et ad monachos eius. Preterea quicquid inter fines possessionis mee aut dono aut pecunia acquirere poterint predicti fratres, sine ulla mea vel heredis mei calumnia adquirant, habeant, et teneant, que omnia sicut sunt per ordinem narrationis singulatim distincta, libera et quietata ab omni consuetudine exactionis vel vicarie, seu ceterorum vectigalium sine ulla mea vel cuiuspiam successorum meorum contradictione, supradictae congregationi suisque successoribus cum abbatibus qui eis pro tempore preerunt, liceat iure perpetuo possidero. Et quicquid inde agendum decreverint liberam potestatem habeam, faciendi, ordinandi, et qualiter cumque eis placuerit meliusque visum fuerit, disponendi tam presentibus quam futuris temporibus. His ita solemniter peractis, postulavi et predicto abbate deprecando, ut in loco illo cuius memoriam feci qui in honore s[ancti] Audoeni est constructus, aliquos constituerit monachos, qui inibi omnipotenti Deo sedulum exhiberent officium quod Deo donante apud illum obtinere merui, ea scilicet ratione, ut in eius dispositione et arbitrio, et eorum qui ei successuri sunt, qui abbates Majoris monasterii fuerint, pendeat de numero et qualitate illorum fratrum qui ad predictum locum sunt transmittendi.

Facta sunt hec dona celeberrime apud s(anctum) Audoenum audientibus et videntibus quam plurimis, quorum nomina pro testibus huic scripto inserere curavimus. Et ut hoc nostre largitionis scriptum per cuncta annorum curricula vigorem perpetuitatis obtineret, precellentissimus Normannorum dux idemque rex Anglorum Guillelmus anno primo ipsius sui regni, una cum precellentissima Mahilde sua uxore, proprio illud auctoramento firmavit apud sedem quamdam suam, quam vulgo Leons vocant, viii kalendas Julii. S. Hugonis. S. Mahildis uxoris eius. S. Tetbaldi filii eius. S. Drogonis filii eius. S. Hugonis filii eius. S. Lamberti filii eius. S. Alberici de Bereglisa. S. Rogerii Sarraceni. S. Sigiberti filii Bernardi. S. Erchangerii de Gisorciis. S. Gisleberti fratris Erchangerii. S. Anscherii fratris Gisleberti. S. Godefredi armigeri Hugonis. S. Richardi de Don maisnil. S. Rodulfi filii Gislonis. S. Arnulfi fratris eius. S. Stephani filii Osmundi. S. Godefridi fratris eius, S. Ursi filii Ermengardis. S. Bernardi de Basincurte. S. Girardi filii Anscherii. S. Ivonis presbyteri. S. Otonis. S. Ansfredi prepositi. S. Godefredi Bornii. S. Bonnardi de Portmorn. S. Ingelranni de Cart. S. Arnulfi senescalci Hugonis.

Notum esse volumus de illis tribus solidis supranominatis, quia non amplius persolvendi sunt. Ricardus enim Longus perdonavit illos b(eato) Martino et b(eato) Audoeni et monachis Majoris Monasterii, quod audierunt testes isti : Rodulfus filius Gislaudi, Gislebertus senescalcus, Erchengerus frater eius, Radulfus de Longa Tulla.